



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Alimenta Pietatis Erga S. Iosephvm Iesu Christi Nvtritivm Post Iesvm Et Mariam Divorvm Amabilissimvm

Barry, Paul de

Monachii, 1650

Cap. V. Denarius Amatorum sancti Iosephi, qui nos luculento exemplo docuerunt, quantum existimationis ac pietatis ei præ Sanctis omnibus post Iesvm & Mariam debeamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46266](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46266)

amare, obsequijs deuincire nos eum,
de quo agimus, præ Sanctis omnibus,
post IESVM & MARIAM deceat.

CAPVT V.

*Denarius Amatorum S. IOSEPHI, qui
nos luculento exemplo docuerunt, quantum
existimationis ac pietatis ei præ Sanctis
omnibus post IESVM & MA-
RIAM debeamus.*

VIVAT beata S. IOSEPHVM aman-
tium cohors! quæ quotidie fit
numerofior, eoque excrescit, vt
pauci admodum reperiantur, qui non
expetant magnopere, illi se coetui ad-
iungere. In eius amorem omnes inci-
dunt, qui IESVM & MARIAM diligunt;
ac prout intelligunt, quantas amoris
causas in illo deprehendant, quamque
Dei Filio ac Matri Virgini fuerit acce-
ptus, ita nihil toties canunt, nihil scri-
bunt, nihil pronuntiant, quàm: *Vivat
IESVS, MARIA, IOSEPH!* An-
te hac

te hac satis credebant esse pietati lita-
 tum, si identidem ingeminarent: *Vi-
 uat IESVS & MARIA!* hoc bonarum
 mentium intercalare carmen erat; at
 nunc aliam cantilenam frequentant,
 ac IOSEPHVM adiungunt: neque hac
 aetate facile piè amantem reperi-
 as, qui non pro tessera & grato casti sanctique
 amoris symbolo has voces capeffat:
Uuat IESVS, MARIA, IOSEPH! Quod
 cum mecum repeto, erroris veniã di-
 gni memoria mihi redit, quo sæpe ac
 diu teneri me sum passus. Olim enim
 S. Alexium vnice deperibam, vt adhuc
 mihi in medullis hæret; hinc dicere
 consueui: *Uuat IESVS, MARIA, & A-
 LEXIUS;* quin & publicè in dedicatio-
 ne, vt & cap. 8. Sancti federis cum San-
 ctis ineundi, id fui professus. Amor
 quippe, quo in S. Alexium à teneris fe-
 rebar, ita me loqui docuit: neque ad-
 huc planè familiaris mihi S. IOSEPHI
 cultus erat, nondum Sol tam serenus
 animo meo illuxerat, aut alius mihi
 post IESVM & MARIAM amabilior Ale-

xio meo videbatur. Verùm nunc, postquam S. IOSEPHI merita perpendi, modò cùm Sponsi MARIE dignitatem aestimaui, palinodiam cano, mecumque statuo, tertium locum ei in animo attribuere, cui potiori iure competit, ac deinceps centies ac millies in vitâ repetere: *Vivat IESVS, MARIA, IOSEPH!* Neque propterea S. Alexium præteribo, quin ei inter priuatæ pietatis & admissionis Diuos primas illi relinquam; nunquam enim fidem illi semel datam interuertam, milliesque ac sæpius iterabo: *Vivat Alexius!* veruntamen quoniam ampliori iure S. IOSEPHI merita se mihi offerunt, ipseque SS. Sponsæ suæ est quàm simillimus, cum in creatâ Triade sit vna è tribus personis; hunc ordinem obtinuit: fuit enim rationi maximè consonû, vt Personæ illæ, quæ Dei Hominis mysterium proximè promouerunt, in amore cæteris præferantur. Eis pro priuato affectu S. Alexium, aut alium, prout quisque se religiosè in quempiã senserit affectû, subiungam.

Ratum igitur est, S. IOSEPHVM plus quàm quemuis alium post IESVM & MARIAM amandum colendumque esse: in quem finem clientum eius multitudo in dies fit maior. Et quandoquidem magnam utiq; consolationem afferet, intelligere, quinam primi omnium in eius amore facem pretulerint; ordine denos huc apponere decreui, ijs simul amantis animi documentis in medium allatis, quæ studio imitabili S. IOSEPHI causâ ediderunt. In ijs porrò collocandis eum ordinem seruabo, vt non nisi maioris in hunc Diuum amoris rationem habeam; illumque, qui cæteros amando anteiuit, cæteris quoque præponam; qui in hoc negotio fuit inferior, potioribus succedat. Hunc delectum facienti necesse est, IESVM in fronte collocare; quem Mater Virgo sequetur: ei S. Teresiam subtexam, atque huic alios, quos postmodum subsequentes videbis.

I. IESVS CHRISTVS Dei Filius. Li-
quet utique, B. Virginem primitias in
S. Io-

S. IOSEPHI amore nactam; cum illum
vt Sponsum prius amaret, quam IESVS
Filius eius hominem induit. Attamen
dubitandum non est, quin Redemptor
mundi multo maiori eum sit amore
amplexus, quam Dei Mater potuit
quouis ipsum impendio amare: amor
enim, quo IESVS illum prosequabatur,
omnem fidem excedit; neque Angelus
pro dignitate explicare illius magni-
tudinem posset. Hunc diligebat vt Pa-
trem; nemoque filiorum vnquam tam
charum sibi parentem habuit, quam
IOSEPHVS fuit à IESV dilectus, quanta-
cunque illi charitate in patres flagra-
rint: vt proin' amor IESV, quo IOSE-
PHVM Patrem suum fouebat, fuerit si-
ne comparatione omnium simul filio-
rum amoribus maior. Quod autem de
amore, quo idem suam Matrem digna-
batur, asserunt, potest suo modo ad
amorem IOSEPHO impensum trans-
ferri. Quippe post Matrem suam nulli
in terris plus amoris, aut honoris, quam
Patri suo IOSEPHO tribuit, ei precepto,

quod iubet Patrem ac matrem colere, cunctis mortalibus exactius religiosius, amantiusque obsecutus. Huic Filij ac Filij talis in talem Patrem amor, eum insuper amorem adiunge, quo in eum multis alijs nominibus prouocatus flagrabat; animaduertes profecto, quousque amor ille excrescat. Mihi ausculta, atque tum de amoris IESV in IOSEPHVM vehementiâ sententiam feres.

Imprimis vt Seruatorem suum coluit; quandoquidem vitam eius tuebatur, cum Herodis furori subtractum in Ægyptum abstulit, summâ illâ charitate Seruatoris sui Seruator effectus, Dein' vt nutritium Patrem obseruabat, quippe cuius sumptu ac sudore vitam suam sustentabat. Vt Angelum custodem dilexit: alij quidem mortales à Deo vitæ suæ custodes Angelos accipiunt; solus IESVS hac custodiâ non indiguit, cui Diuinitas Verbi eius humanæ naturæ associata suffecit: nihilominus cum Deus tutorem illi in
hu-

humano corpore conspicuum desti-
naret, fors tam beata S. IOSEPHO obti-
git; qui triginta circiter annorum spa-
tio perpetuus Dei Hominis ductor &
gubernator fuit, aduersus Christum
officio fidissimi Custodis Angeli probè
functus. Eundem ceu Patrinum suum
& stimabat: ab ipso enim IESVS nomen
suum Circumcisionis die fortitus est,
quod vt illi imponeret, fuit diuinitus
ab Angelo edoctus. Et vt paucis ab-
soluam, vis dicam qualiter eum amâ-
rit? vt pupillam oculi dilexit: ita IO-
SEPHVM à se amatum, ipse IESVS mihi
auctor est; si fides est cuidam histo-
riæ Orientali habenda, quam Christia-
ni in Oriente pro verâ capiunt, & à di-
uersis auctoribus hodiernis, qui de
laudibus S. IOSEPHI egerunt, recen-
setur. a Compendio rem illic pluri-
bus pertractatam enarrabo. Serua-
tor noster olim cum Discipulis suis de
vitâ S. IOSEPHI collocutus, inter alia
has voces memoratu maximè dignas
ad

a *Morales in Matth. Isidorus Dominica.*

ad testandum suum in patrem putati-
cium amorem emisit. In rebus omni-
bus ita cum IOSEPHO agebam, velut fi-
lius eius essem: eum ego patrem voci-
tabam; vicissim ille me filium appel-
lauit: eius omnes nutus & imperia se-
quebar, & IOSEPHVM Patrem meum
non secus imò plùs, quàm pupillam
oculorum meorum diligebam.

Sed fortassis indicia & effectus amo-
ris, à Filio in patrè profecti, à me per-
censeri cuperes, cuius magnitudinem
tantopere propugnem? libenter tibi
obsequar: ea paucis habe. Omnia do-
cumenta, omnes blanditiæ, omnes a-
moris illius testificationes, quibus Dei
Filius charioribus amicis, Sanctis ser-
uisque dignioribus se insinuabat, eæ-
que magis auctæ & frequentes S. IOSE-
PHO fuerunt à IESV præstitæ. Expende
nunc, an non ille fuerit IESV cæteris
vniuersis post Angelorum Reginam
charior. Magna vtique gratia tibi vi-
debitur, quæ B. Magdalænæ de Vrsinis
facta est, quando potuit IESVM Infan-
tem

item paleis incubantem, vt olim in stabulo Bethlehemitico visebatur, intueri: vt & B. Teresæ de la Cerda, quæ quòd lauare ac emundare sacra lintea Christi SS. Corpori insternenda sole- ret, nec à loco, vbi ficcanda pende- bant, pedem latum discederet, ne mu- scæ aduolantes illa inquinarent; pro præmio tam piæ curæ IESVM paruulū vidit, ijs insidentem, dein' totum se in- uoluere. *a* Magni facies S. Mariæ Ma- gдалenæ felicitatem, quòd sacros Ser- uatoris pedes in Simonis domo sit- osculata; pluriumque aliorum, quibus eiusmodi fauores obuenerunt. Magna hæc sunt, fateor; sed S. Iosepho exhi- bitæ beneuolentiæ comparata nihil erunt: is enim non semel tantum eo tempore, quo in præsepi ac foeno ia- cuit, sed toto infantia illius decursu, eum conspexit: sæpe sæpius illum in fascijs iacentem contemplatus est, cum in eo linteis inuoluendo S. Virgi- nem

a Ex P. Ioanne à S. Mariâ in hist. Ord. S. Dominici.

nem adiuuit, & sexcenties in eiusmodi
 occasionibus sacrosanctos eius pedes
 osculo attriuit. In admirationem ra-
 peris, quoties S. Ioannis familiarita-
 tem consideras, in IESV Magistri sui
 pectore quiescentem; qui ab eius di-
 uino ore plurima arcana didicit. Et
 quid hoc totum, si cum S. IOSEPHI fe-
 licitate conferatur? Centies iterum-
 que centies IESVM Filium suum bra-
 chijs excepit: quando in Ægyptum
 cum ipso profugit, ac ibidem substi-
 tit, millies iterumque millies in eius
 oscula & amplexus ruit: quamdiu in
 eius domo fuit versatus, quavis occa-
 sione ab eo fuit consiliorum suorum
 arcana edoctus. Maximi facis, cum
 audis, IESVM semel Pontificio habitu,
 dexteraque ad impertiendam B. Vrsu-
 læ Valentinae benedictionem sublata
 comparuisse, ac mille delicijs eo tem-
 pore illius mentem perfudisse: eundem
 aliàs eius cubiculum noctu ingressum,
 cum precibus ipsa vacasset, instar So-
 lis micuisse, eamque tam amanti fuisse
 obtuta

obutu dignatum, vt animo inde pe-
nitens amore faucio extra se rapere-
tur. SS. Apostolos magnopere suspi-
cis, quòd viuere & agere trium anno-
rum spatio cum Dei Filio potuerint,
eum conspiciari, alloqui, interroga-
re, audire incredibili voluptate soliti.
S. IOSEPHVS his omnibus est superior;
vt qui non tres, sed tricenos annos
eum in oculis in suâ domo habuerit,
non Pontificiâ cyclade, sed prodigio-
sâ veste indutum, quæ cum crescente
SS eius Humano Corpore crescebat;
qui non Apostolorum more hinc inde
commeantem est secutus, sed in eodem
domicilio cum ipso degebat, vt diuinâ
eius præsentia posset ad libitum re-
creari. Iactas, maius beneficium non
esse, quàm quo B. Ioanna Francica fuit
ornata; quando Seruator noster di-
gnatus est in eâdem cum illâ mensâ ac-
cumbere, etsi omnium ferculorum ac
lautitiarum loco, tria duntaxat corda
in argenteâ lance Christo apponeret:
quæ ipsa conuiuantium, IESV nimirum

MA-

MARIÆ & B. Ioannæ corda fuere. Tandem Apostolorum in supremâ Cænâ, in Lazari, aliorumque conuiuio gratiam facis; quod communi cum Magistro suo sint mensâ vsi: neque confideras, IOSEPHVM tot annis cum Dei ac suo Filio cœnâsse, alloquijs & familiari consuetudine tam ipsius quàm SS. Virginis recreatum: quod vtique beatius est, quàm semel, aut etiam cum Discipulis datâ commoditate aliquantò sæpius cum eo assedisse. Admiraris, IESVM variè aut in monte Thabor fulgentem gloriâ, aut post eius in cœlos abitum tot Sanctis, vt est S. Catharina Senensis, S. Terefia, S. Ignatius, S. Franciscus, S. Dominicus, S. Paulus, & mille alij diuino prodigio apparuisse, formæ ac lucis splendore radiantem, cœlesti nonnunquam symphoniâ accinente; vt historiæ & res Diuorum gestæ passim affirmant: & non admireris, eundem à S. IOSEPH, cum in eius ædibus versaretur visum, plerumque diuinâ quadam luce circumfusum, è quâ ipse
instar

instar solis emicabat; ipsius Dei Matris testimonio, quæ prodigium S. Brigittæ in hunc modum recenset: *a* Ego, & IOSEPHVS, inquit, sæpissimè admirabilem lucem conspeximus, in cuius medio Filius meus resplenduit, eodem tempore cælesti Angelorum concentu recreati, qui eius laudes canebant. Censes, non esse maius vllum Iesv suos amantis facinus, quàm quando non dedignatur, in supremo vitæ articulo se palàm conspicuum eis exhibere, & consolationem afferre. Idem puta S. IOSEPHO factum potiùs, quàm plurimis Diuorum, qui ex hac vitâ ad meliorem hac felicitate donati, abierunt: par enim gratia nulli euenit, si Historia Orientalis, quâ de suprâ mentionem feci, fidem meretur; vbi refertur, Christum S. IOSEPHO in supremo morbo adstitisse, ad lecti eius caput versatum, qui ei manum præbuerit, & ad postremum vsque suspirium sit consolatus: cumque vitâ excessisset, os & oculos

a Lib. 9. Reuelat. cap. 50.

oculos illi clausisse, suisque manibus cultum ad decentem à morte oris compositionem effinxisse. Itaque postulanti tibi, à me IESV amoris in S. IOSEPHVM argumenta proferre, morem gessi. Nunc ad alios eius amatores gradum promoueamus.

II. Fuit S. MARIA Dei Mater, quæ in S. IOSEPHI amore excellit; eum enim ut Sponsam diligebat; neque Sponsarum vlla tantoperè tam castè sanctèque maritum suum, ut MARIA IOSEPHVM, amavit. Eum ut Virginitatis suæ defensorem, ut fidum honoris sui Seruatorem dilexit; quoniam cum illà versatus eandem ab illo probro exemit, cui fuisset apud cæteros obtinentem diuinâ prole vterum obnoxia, si ab illà digressus, negâisset eius se sobolis parentem esse. Eundem ut omni post Filium amore dignissimum inter filios hominum colebat; & quia ipsa rerum pretio suos amores attemperabat, hinc amor ille, quo S. IOSEPHVM tot nominibus amari dignum

foue.

fouebat, maximus omnes Sponsarum
 amores excessit, quantumcunque in
 suos coniuges aluissent. Ex eo tam præ-
 stanti in S. IOSEPHVM amore fiebat, vt
 ad minima etiam illius obsequia se ab-
 iiceret, ei inseruiendi & cibos illi ap-
 parandi studio: clarè quidem Virgini
 perspectus erat gradus ille, quem ipsa
 in terris ac cælo Dei Mater & Angelo-
 rum hominumque Regina obtinebat,
 & idcirco IOSEPHVM se esse inferio-
 rem: attamen amor, quem illi impen-
 dit, posthabitis illis momentis ad quos-
 uis ei præstandos honores, operam ac
 reuerentiam, illam vrgebat; ad eò qui-
 dem, vt titulis in eum honoratori-
 bus vsa, dominum suum compellaret,
 nec aliter ei quàm summæ submissio-
 nis ac venerationis indicijs loquere-
 tur. Hæc, vt omnes alias eiusmodi mi-
 nutas actiones à me allatas, & posthac
 afferendas, ex S. Brigittæ Reuelationi-
 bus hausi, eidem Diuæ ab ipsâ Dei Ma-
 tre traditas. ^a Sed alio insuper monu-
 mento

^a Lib. 7. Reuel. S. Brig. c. 25. Lib. 6. cap. 59.

mento B. Virginis in Sponsum am-
 congnandus est. Cùm quidpiam al-
 teri in amoribus est, instituendis de il-
 lo sermonibus ac pertexendis mille rei
 amatae laudibus satiari non potest: ad
 hanc notam explora sis, num MARIA
 in amando IOSEPHO tota fuerit. Spon-
 sus meus, ait illa, & cautè admodum
 parceque loquebatur; nunquam ver-
 bum illi intempestiuum excidit, nun-
 quam conqueri, nunquam obmurmu-
 rare, nunquam irati, vel impatientis
 animi signum prodere, deprehensus
 est. Paupertatis fuit patientissimus, vi-
 gilantissimus ad laborem summè obse-
 quens, & ad quoduis propensionum
 mearum indicium paratissimus. In eos,
 à quibus malè habebatur, erat huma-
 nissimus; cùm aduersus obloquentium
 criminationes meus honor fuit pro-
 pugnandus, acerrimus; diuinorumque
 operum testis fidelissimus. Ex hac mor-
 tali vitâ sic decessit, vt nihil nisi cælum
 suspi-

a Lib. 7. Reuelat. S. Brigit. c. 25. Lib. 6.
 cap. 59.

fufpiraret: cui tanto defiderio inhiabat, fide promiffi diuini fretus, vt identidem repeteret: vtinam viuam, & videam circa me voluntatem expleri! quod ad confuetudinem inter homines attinet, rarò admodum cœtus adibat; neque iucundum illi erat, cum rebus creatis verfari: omnis autem eius oblectatio fuit, diuinæ voluntati obfequi; cuius causâ ingenti modò gloriâ potitur. Hactenus MARIA in gratiam laudesque Sponfi fui IOSEPHI diferta.

III. S. Terefia fuit, illa in cultu S. IOSEPHI tam ftrenua, dignaque inter præcipuos eius cultores cenferi. Eum fibi maturè pro Patrono delegit, fæpius eius fe fidei commendare folita, vtpote quem illa præ reliquis Sanctis ftudiofius obferuabat, eumque patrem ac Dominum fuum vocabat. Singularis eius in hunc Diuum fiducia fuit, quòd ipfa fateretur, fe nihil ab eo vnquam postulâffe, cuius repulfam tuliffet; etfi multa corporis ac animi

E

causâ

causâ ab eo flagitâisset. Hinc dictitabat, videri sibi, Deum nolle nos aliorum Sanctorum ope iuuari, nisi in certo quopiam ærumnarum genere, S. IOSEPHVM verò in rebus omnibus nobis esse præsidio: veluti docere nos vellet, quemadmodum in terris ei vt patri suo obtemperauit, eodem omnino modo cum ipso se in cælis agere, ratasque omnes eius preces habere. Hic sensus S. Terefiæ de S. IOSEPHO suo fuit, omnes inde cohortantis, suo exemplo pro singulari eum Patrono adsciscerent, tunc maximè, si quis vacare orationi, Deumque precandi callere artem desideret. Ipsa certè experientia felicique successu edocta, ei, cui magister deesset, à quo precandi methodum addisceret, pro Doctore S. IOSEPHVM adeundum, à quo haud dubie esset probè erudiendus. Nihil denique omisit, quod ad propagandum in plures S. IOSEPHI cultum faciebat: & vt erat illi vnice deuota, vehementer cupiebat, mortalium omnium corda suo affectu

affectu, hoc est, ardenti in S. IOSEPHVM
 amore ac pietate imbui. Hoc eius de-
 siderium experimento, quo à Deo tot
 bona illius oratione ac meritis obti-
 nuit, stabilitum effecit, vr idem omni-
 bus polliceretur, qui ad eius opem
 confugerent, sanctè asserens, neminem
 se nouisse, S. IOSEPHI cultui addictum,
 aut peculiaribus officijs de illo bene-
 meritum, qui non magnos in virtute
 progressus fecisset. Hæc dixisse suffi-
 ciat, vt eam huc collocemus, quæ pri-
 ma præterito sæculo S. IOSEPHI vene-
 rationem vulgavit, ac in vsum reuoca-
 uit, in omnes modos intenta, eius no-
 titiam amoremque mundo hoc præ-
 fertim tempore publicandi, quo om-
 nium maximè cælesti ac singulari no-
 bis auxilio est opus.

IV. B. Caspar Bonus est, ex Ordine
 Minimorum vir eximiè sanctus: cui ni-
 hil ita cordi post IESVM, & MARIAM,
 ac IOSEPHVS fuit: totâ vitâ magnis il-
 lum sibi obsequijs deuinxit; neque in
 horâ mortis ad alium Diuorum quàm
 amabilem hunc Patriarcham confu-

git. Præcipuè verò in colendo IOSEPHI nomine eximius fuit, quod cum IESU ac MARIE SS. nominibus vnà complectebatur: in omni vitâ hæc illi solennis tessera, hæc voces erant, IESVS, MARIA, IOSEPH: facilè enim intelligebat, omnem felicitatem gratiamque nominum in hac sanctorum Nominum triade versari, eaque boni ominis, & mellis plena esse, vti eleganter quispiam patris hisce verbis expressit:

*Hæc tria Nomina,
Bona sunt omina,
Et mundi lumina,
Et celi limina.*

Ita persuasus, vt in Hagiophili Blandinijs Sanctis Cap. I. Exercitio V. diximus, perpetuò propè his tribus Nominibus vtobatur, eaque pronuntiabat, siue interrogaret, siue responderet, siue cum exteris, aut Religiosis colloqueretur; ijs est solitus sermonem auspicari, ijsdem finire; eadem admirando interponendo, digrediendo ingemiscere: IESVS, MARIA, IOSEPH, mi Fra-

ter,

ter, portam mihi aperi; ianitori dicebat, cum vellet domo egredi: IESVS, MARIA, IOSEPH, mi Pater, bene veneris; occurrentem Religiosum aliunde profectum salutabat: atque ita quavis aliâ occasione in ore illi, IESVS, MARIA, IOSEPH fuit. Porrò vt viuus ei pietati se totum addixit, ita in eius vfu mori optauit: hinc supremo morbo oppressus, identidem eos, qui aderant, rogauit, vt, si viderent illum cum morte luctari, aliud nihil, quàm IESVS, MARIA, IOSEPH, ei occinerent; velut omnes eius affectus his tribus nominibus conclusi essent, in hoc vnum intenti, vt extremum spiritum in ES, hisce Nominibus amitteret. Neque secus illi, ac optauerat, euenit; moriturus enim postremas illas voces edixit: *Bone IESV, miserere mei!* & mox: IESVS, MARIA, IOSEPH. *a* O vt nobis hac morte defungi liceat!

V. Franciscus Salesius Genuensium Episcopus occurrit; qui Antistes tantæ

E 3

sancti-

a Ex A. d. Atichi in histor. Ordinis.

sanctitatis mirè fuit S. IOSEPHO dedi-
 tus: penitusque mihi persuadeo, huic
 Sancto peculiari pietate eum se deuo-
 uisse, & præ cæteris omnibus plus illi
 honoris detulisse: ita me P. Petrus Bar-
 naudus è Societate nostrâ docuit, cui
 contigit eius morbi ac mortis actis in-
 teresse. Is duo, aut tria memoratu di-
 gna argumenta deprehendit, vnde sa-
 tis eius eximia in S. IOSEPHVM pietas
 patefceret. Pridie, quàm sanctè de-
 cederet, cùm iam pararet Lugduno
 excedere, apoplexiâ, quæ illum cor-
 ripuit, nondum se prodente, P. Ber-
 naudus Collegij nostri tunc Rector,
 vale illi dicturus, eò se conferebat, vs
 sua, totiusque Collegij, quod est S. IO-
 SEPHI nomine insignitum, religiosa
 obsequia illi deferret: cui sanctus
 Præsul responsi & aulicæ ambagis lo-
 co, mirâ humanitate, verbisque amo-
 re ingenuo plenis, mi Pater! inque-
 bat, an ignoras, me totum S. IOSEPHO
 sacrum esse? Idem Pater mihi recen-
 suit, cùm sequenti nocte in religiosis-
 simi

simi Antistitis cubili excubias ageret,
 vt inualefcente morbo morienti adef-
 fet, neque fecum Breuiarium ad per-
 soluendas preces haberet; sibi ægræ
 fuisse oblatum, vnâ duntaxat imagi-
 ne S. IOSEPHI instructum. Neque illud
 hîc prætereundum, quod eodem spe-
 ctat, magnumque Francisci studium in
 S. IOSEPHVM testatur. Primus ipse in
 templo nostro S. IOSEPHO sacratio con-
 cionem habuit, ipsâ natali eiusdem
 Diui luce: sed vide, quonam pacto id
 præstiterit. Eminentissimus Cardina-
 lis Marquemontius eum induxerat, vt
 festo S. IOSEPHI die in Monialium Car-
 melitanarum sacrâ æde pro concione
 diceret: cui P. Barnaudus superue-
 niens eundem rogabat, vellet eodem
 die in templo nostro verba facere.
 Tum pijsimus Præsul cùm id benefi-
 cium Patri minimè negaret, hoc adie-
 cit: Vide sis, mi Pater, inquiens, eodem
 die iubeor geminū partum eniti, vt de-
 beam de successu ambigere; sed S. IO-
 SEPHI amore nihil detrecto. Ipsa dein

Diui luce mane auditus è superiori lo-
 co, tam feliciter perorauit, vt peractâ
 concione, cui sesquihoram dedit, vt ad
 satietatem posset de summis eius Diui,
 quem amabat, dotibus ac eximijs lau-
 dibus differere, Cardinalis Marque-
 montius cæteri que auditores omnes
 facilè collegerint, quanto ardore affe-
 ctu que animi S. IOSEPHI honorem se-
 ctaretur. Insignis illa concio luculen-
 tam dissertationem in memoriam mi-
 hi reuocat, quam in libro Sacrarum
 dissertationum idem Antistes de Vir-
 ginei Sponsi virtutibus instituit: vnde
 videm apparet, quantam de S. IOSE-
 PHO existimationem, amorem que in
 eum conceperit. Ex hoc vngue pote-
 ris leonem agnoscere. O quantus est
 S. IOSEPHVS? inquit eius Sermonis ini-
 tio: neque enim solùm est Patriarcha,
 sed Patriarcharum Coryphæus: non
 est simplex confessor, sed Confessore
 maior; in eius confessione clauduntur
 dignitates Præsulum, generosa mens
 Martyrum, Sanctorumq; reliquorum
 omnium.

omnium. Iure igitur Palmæ, ceu Regi
arborum, comparatur. Atque hæc pau-
ca sufficiunt, vt de loquentis animo, a-
moreque, cuius causam laudesque illic
pertractat, coniecturam facias. Nihil
superaddam; cum indubitatum sit,
Franciscum Salesium è præcipuis S. Iose-
phæ cultoribus fuisse. Cuius rei si
maiora velis indicia perspicere, Mo-
niales sub B. V. visitantis tutelâ & no-
mine conscriptas consule, quæ ex eius
disciplinâ & sacro Ordine, quem insti-
tuit, profectæ, eundem auctoris suæ
amorem in Diuum Iosephum hæredi-
tate acceperunt. Illæ nobis haud du-
biè affirmabunt, Patriarcham hunc
suum S. Iosepho librum de Amore Dei
dedicasse; primum eius Ordinis tem-
plum Anicij eius tutelæ consecrâsse;
eumque Diuum in Religiosorum ri-
tuum codice Sanctum Tutelarem ap-
pellatum; eundem iussisse, in omnibus
earum domicilijs diem eius festum so-
lenni ritu celebrari, ipsasque peculiari
pietate hunc Diuum prosequi; com-

mendatum sibi annotatumque instituti legibus esse, singulari studio ei se consecrare; moniales, à quibus exercentur Nouitiæ, pio recepto vsu solere candidatas, cum primùm meditationis studio se addicunt, instruere, vt S. IOSEPHVM pro Duce peculiarique eius exercitij patrono assumant. Itæ scilicet filiæ sunt, quæ Patris & auctoris sui exempla imitatæ, IOSEPHVM amant, amoris illicium.

VI. B. Margareta de Castro ex Ordine S. Dominici esto. Hæc, vt iucundum nobis est eorum sæpe meminisse, quæ amamus, pro ordinario meditando themate plerumque IESVM Infantem in stabulo natum, ponè adstante Virgine Matre, & S. IOSEPHO, sumebat: imprimis verò illa obsequia, quæ gloriosus ille Sponsus: Virginis IESV paruulo eiusque SS. Matri præstabat, miram illi consolationem tenerumque in S. IOSEPHVM amorem conciliabant. Quæ res miraculo fuit approbata: Deo enim id agente eius cordi diuinum
hoc

hoc mysterium ac tres SS. personæ
erant graphicè incisæ, inaudito ac in-
credibili beneficio simul & prodigio:
ita vt sæpe amicis suis loqui audiretur;
ô si scires, quid penes me geram, quid
in hoc corde lateat! atque reipsa post
eius mortem, cum eius corpus aperi-
retur, tum vt cordis eius secreta ex-
plorarent, tum alias ob causas, in il-
lius corde tres gemmæ sunt repertæ,
perfecto opere cælata, quæ oculis ex-
hibebant, quidquid Margarita cha-
rum in viuis & terris habuit. In pri-
mâ B. Virginis imago visebatur ele-
ganter facta, coronâ ex auro caput re-
dimita: in alterâ IESVS paruulus ve-
nustissimi oris apparebat humi po-
situs, aliquot ouibus eum cingenti-
bus: in tertiâ S. IOSEPHVS venerabilî
specie cernebatur, pallio aurei ope-
ris opertus, quod ex humeris deflue-
bat, columbâ capiti insidente; ad cui-
us Diui pedes monialis visa est in ge-
nua prouoluta, supplicantis habi-
tu, Margaritæ defunctæ persimilis.

Tibi nunc considerandum relinquo, quantâ voluptate spectaculum illud intuentes implêrit, cum primum fama prodigium euulgavit: & an non passim fuerit hominum sermonibus celebratum, hunc pietatis illius fructum esse, quam S. hæc Virgo in IESVM, MARIAM, & IOSEPHVM concepit, vltimum præsertim; quando quidem ad eius Diui pedes prostratam illa cælestis calatura exhibuit, cui tam insignem cultum ac honorem habuit. Et quod magnopere gaudendum, tres hæc tanto miraculo insignes gemmæ etiamnum in vrbe illâ penes S. Dominici familiam religiosè asseruantur, & omnium admiratione illic spectantur; etsi plures anni sint à B. Margaritæ obitu elapsæ. a

VII. B. Agatha de S. Cruce eiusdem Ordinis quondam festo Purificationis B. Virg. die singulari desiderio exarsit S. IOSEPHVM colendi, hac ferè occasione. Feminas quasdam, quas nuper à pec-

a *Ex Antonio de la Pena.*

à peccandi consuetudine retraxit, datâ operâ grauiùs obiurgabat, vt eas metu coërceret, caueretque, ne ad vomitum redirent: quo facto suborta animo religio turbas illi excitauit, quod dubitaret, num iustò acerbiùs eas inuasisset. Vnde statuit, Sacerdoti eâ de noxâ se accusare, & ad templum festinare: vbi cùm se ad confessionem ritè peragendam accingeret, B. Virgo se visendam illi obtulit, IESVM paruulum brachijs amplexa, S. IOSEPHO Sponso comitante: tunc illa non prætermisit, occasione vti, veniamque errati sui à Matre & Filio postulauit, quam ei verbis melle dulcioribus indulserunt. Hæc tam insignis gratia sibi à B. Virgine à Paruulo IESV facta tantam B. Agathæ lætitiâ attulit, vt totum eum diem laudibus & agendis Dei Matri gratijs infunderet, seque in considerandis S. IOSEPHI diuinis amoribus occuparet, qui è præcipuis erat, qui sacris ritibus in Ierosolymitano templo festo Purificatæ Virginis die interfuere.

Multum sanè B. Agathæ profuit, hæc vidisse: ab eâ enim horâ mirè in B. Virginis SS. Sponsum rapi se magno pietatis incremento sentiebat. Quin eius quodam festo die mirabili ostento, quo de eius vitâ & morte erudiebatur, recreari meruit: quo tempore Deus illi significavit, cum S. Iosephus in agone esset, maximo illi dolori fuisse, quòd esset à Societate & dulcissimâ consuetudine IESV & MARIE auellendus, probè gnarus, se corporis ergastulo emissum, Deum hominem intuendi facultate tantisper cariturum, eiusque Resurrectionem sibi esse subinde expectandam. Eo fastidio durante, iussum esse à Christo minimè affligi, quòd inde emigraret; paulò post, vt primùm vatum oracula essent expleta, se illi denuo cum Patre cælesti visum iri. Illis verbis S. Iosephum respirasse, ac multò maximâ fuisse voluptate perfusum, cum Iesus imminente morte pro eo ad Deum Patrem preces profudit; seque vidit ab hac vitâ

tâ ad alteram Seruatoris sui brachia, & in oculis SS. Virginis Sponsæ suæ transfire. a Magnas sanè rationes inde B. Agatha potuit haurire, ob quas SS. IosephVM nouo maximoque ardore veneraretur.

VIII. Yolanta de siluâ itidem è S. Dominici familiâ: cui summè volupe fuit, IESV, amore generis humani fascijs inuoluti, infantiam meditari: quæ tam frequens meditatio in eius animo maximam in S. IosephVM pietatè excita- uit: fors enim tam beata ipsius auribus accidit, vt IESV Infantis posset teneras voces exaudire; oculis, vt per omnes eum infantia gradus & actiones obser- uaret; brachijs, vt eum tenere, gerere, amplexari licuerit; ori, vt multis illum osculis fatigaret, & quoties vellet, illi osculû imprimeret. Ob eiusdem Christi Infantiaè honorem tenero sensu in SS. Innocentes, eius causâ mortuos, fe- rebatur: in quem finem ipsa quot annis centies ac quadragesies quater millies pro

a Ex P. Ioanne à S. Mariâ,

pro eorundem honore orationem Dominicam recitabat, quorundam opinione persuasa, tot omnino fuisse perceptos: id quod videtur S. Iohannes in Apocalypsi affirmare. ^a Ex toto isto pietatis apparatu magnos illa progressus fecit, fructusque retulit: quippe imminente obitus hora S. Iosephus cum SS. Innocentibus, eius in se pietatem remuneraturus, ad eam inuisit; nec prius inde discessit, quam illam inde egressam in caelum deducerent.

IX. Iohannes Gerson Vniuersitatis Parisiensis Cancellarius. Nemo Diu fuit alterius vnquam amantior, quam vir hic maximus in S. Iosephum propendebat. Libellum, quem Iosephinam inscripsit, totum in eum finem composuit, vt satis loqui de S. Iosepho posset. Credebat plerasque suarum concionum non esse omnibus numeris absolutas, nisi aliquid de S. Iosephi laudibus ijs aspersisset. De illo tradandi occasionem sedulo sectabatur.

hinc

^a Apoc. 14.

hinc ij, qui hodie è posteris excurrere
in S. IOSEPHI laudes voluere, nihil ferè
præclari attulerunt, quod non ex Ger-
sone hausissent: neque aliam cantile-
nam texebant, quàm ab illo præeunte
didicissent. Qui verò eius maximum
S. IOSEPHI exornandi studium vellet
intelligere, necesse illi foret, omnes eas
laudes evolvere, quibus ad concilian-
dam Diuo illi venerationem utebatur.
Hic est, qui asseruit, S. IOSEPHVM non
secus, ac S. Ioannem Baptistam fuisse in
utero materno labis originalis absolu-
tum. Hic idem tuetur, S. IOSEPHVM
omni vitioso cupiditatum fomite ca-
ruisse, neque vnquam desideria ratio-
ni aduersa sensisse. Hic est, qui affir-
mat, S. Patriarcham fuisse in gratiâ
confirmatum: cum IESV resurgente
resuscitatum: eundem ita rediuiuum
postea SS. Virgini Sponsæ suæ appa-
ruisse: post Virginem Matrem nemi-
nem inter omnes Diuos maius in cælo
fastigium obtinere. Si ipsum audires,
dicerès, hunc vnum S. IOSEPHI enco-
miasten,

miasten, reliquos omnes in hac re multos esse. Hic denique est, qui eousque S. IOSEPHVM in sublimem extulit, vt cum & quoad gratiam, & quoad virtutes, prærogatiuas, & gloriam post IESVM & MARIAM primo loco summoque collocaret. Ad quæ tam luculenta indicia quis negabit Gersonem S. IOSEPHI maximopere amantem fuisse?

X. Henricus Carnutensis Canonicus agmen claudat: eius integerrimi viri omnis propemodum cogitatio ad cultum S. IOSEPHI aut in se, aut in alijs propagandum spectabat. Idem insignem librum de S. IOSEPHI laudibus, & casto eius cum Dei Matre Conubio moliebatur, sed morte præuentus ad finem perducere cœptum opus haud potuit. Quid igitur credas eum tentasse, ne quid inde S. IOSEPHI honori decederet? Ioannem Gersonem Parisiensis Vniuersitatis Cancellarium, veterem fidumque amicum exaratis alienâ manu litteris rogauit, quandoquidem obstante morbo prohibere.

hiberetur, operi manus vlteriùs ad-
 mouere, vellet aut ea, quæ illic cæ-
 perat, ipse pertexere, aut eiusdem ar-
 gumenti simile opus elucubrare. Res
 ad eius votum successit; Gerson enim
 varia de hoc themate concinnauit,
 tam vt suæ propensione, quâ cupiebat
 Orbi gloriam S. IOSEPHI celebrem ef-
 ficere, faceret satis, quàm vt Henri-
 ci Chycoti, viri sibi amicissimi, volun-
 tatem exequeretur, æternâ memo-
 riâ digni, quòd tantoperè S. IOSE-
 PHVM coluerit. *a* Alterum sui in eum
 amoris documentum adiungam: quòd
 videlicet testamento liberalem pen-
 sionem annuam Canonicorum Carnu-
 tensium Collegio legârit, eâ tamen le-
 ge, vt quotidie memoriam S. IOSE-
 PHI Patroni sui charissimi recolerent,
 eiusque honori Antiphonam quam-
 piam accinerent; vt inde occasionem
 haberent, singulis diebus eius opem
 implorandi, sensimque debitæ in eum
 pietatis vsum comparandi, dum sæ-
 pius

a Ex Ioan. Gersone, Tom. 4.

pius eius se precibus ac fidei commendant. Quæ duo monumenta concepti in illum amoris sanè merentur, vt locum inter eius, quem tantopere obseruabat, amantes obtineat.

Atque hic est S. IOSEPHI amantium denarius, qui præclaris exemplis nos inuitârunt, vt eius meritis honorem haberemus, eiusque patrocinium clientes prensarem, certò persuasi, nos incredibile rerum nostrarum compendium facturos. Sunt vtique plures alij S. IOSEPHI amatores, in vtroque sexu visendi, quorum catalogus foret prolixior. Huc apponere B. Hermannum de Steinfeld ex Ordine Præmonstratensium debebam, cui Dei Mater IOSEPHI nomen imposuit, postquam dignata est, illum pro Sponso sibi adsciscere; solitaque est sæpe eius brachijs Filium suum immittere, vt eum S. IOSEPHI exemplo felix gerulus portaret. *a* P. Petrus Cottonus Societatis IESV, totâ Galliâ ob raram virtutem

cele-

a Ex eius vitâ in Surio.

celebris, hinc etiam locum sibi vindicaret; neque enim communi duntaxat sensu S. Iosephum colebat; eius quippe operâ, consilioq; Lugdunense Collegij nostri templum fuit S. Iosepho dedicatum, non procul ab eo loco, quem Belle-court vocant, distitum; estque primum Gallia totius templum, quod glorioso fuerit hoc nomine insignitum. Eius ardor, quo cupiebat eum Diuum omnibus officijs, ac honoribus demereri, summus erat; qui si, ut famâ celebratur, diuinitus obitus sui diem præsciuit; credibile admodum est, hanc ei gratiam id agente S. Iosepho factam. Ut sit, constat certè, festo illius Diui die P. Cottonum obiisse; quæ res non modico nobis indicio est, calum eius in S. Iosephum constans per omnem vitam studium approbasse. Sancta quoque Brigitta, S Gertrudis, quæ cælitus iubebantur ei esse denotæ, è Carmelitarum item Ordine Anna à S. Bartholomæo, & Anna à Iesv, S. Terefiæ in illo amando exemplar

plar maternum secutæ, omittendæ nõ
 erant. Huc inferendi insuper egregij
 quique scriptores erant, qui perhõ-
 norificè de illius perfectionibus sunt
 locuti: quales sunt S. Bernardus,
 S. Bernardinus Senensis, S. Ioannes
 Chrysostromus, S. Gregorius Nazian-
 zenus; S. Petrus Chrysologus, S. Tho-
 mas Aquinas, & post hos alij recent-
 tiores Diego de Aranâ, Carolus Sten-
 gelius, Petrus Morales, Stephanus Bi-
 netus, Carolus à S. Paulo, & complu-
 res alij. Neque dissimulandæ forent
 tot præclaræ mentes, si perspectæ no-
 bis essent, quæ perpetuò eius obse-
 quijs vnicè se deuouerunt; è quibus
 aliæ adhuc vitam aut in Religiosis fa-
 milijs, aut foris degunt, aliæ illam cum
 beatâ permutârunt. Hos omnes nu-
 merosam S. IOSEPHI amantium cohortem
 effecturos, nullus dubito. Censeo
 nihilominus, sat multos me tibi eorum
 stitisse, qui suis te exemplis incitent, vt
 ijs te in S. IOSEPHO diligendo conformes;

mes; quod vnum spectavi hoc capite
tibi persuadere.

Quod si hæc exemplaria ad finem
meum obtinendum necdum sufficiant,
atque necesse sit, modum tradere,
hunc Diuum colendi, ac faciliora ex-
ercitia suggerere, quibus affici queat;
ne quid patiar meo consilio deesse,
præstò sum, in quatuor proximè se-
cuturis capitibus tuæ expectationi sa-
tisfacere: continebunt illa præcipuas
quasque pietatis in S. IOSEPHVM exer-
citationes, in quamvis occasionem
paratas. Polliceor mihi, hanc meam
institutionem minimè infructuosam

fore. Nunc igitur operi calamum,
ac tum manus ac animos ap-
plicemus.